

quoddam in aere, atque atomorum cœtu obvolitans: Sed est cœtus ille visibilis vocatorum: cui semper inclusi sunt Electi & verè pij, licet illi sub oculorum κρίσις atque censuram minimè cadant: uti infra ostendetur.

9. Qui ergò incerti vagantur & Academica ἐπιχρη̃ usi singulare quiddam sibi imaginantur, ac nulli cœtui se adiungunt: hos nulla prorsus & nullius Ecclesie esse membra, ipsimet facto suo testatum faciunt.

10. Παραφραδικῶς hoc loco illud primò notamus, Ex præscripto Symboli Apostolici nos credere quidem Ecclesiam; non verò credere in Ecclesiam: Et errore haud omni carere, quod in recitatione Symboli Niceni, vel potius Constantinopolitani, quedam exemplaria historie Ecclesiasticæ adjectam habent particulam (IN).

11. Nam docente etiam D. Augustino lib. de Symb. cap. 10. Credere Ecclesiam, non in Ecclesiam debemus, quia Ecclesia non DEVS, sed domus DEI est.

12. Et, ut Ruffinus admonet, si de creaturis ac mysteriis sermo, est IN, præpositio non additur, ut dicamus, in Sanctam Ecclesiam: Sed Sanctam Ecclesiam credendam esse, non ut in DEVM, sed ut Ecclesiam DEO congregatam. Hac itaque præpositionis syllaba Creator à creaturis seceratur, & divina ab humanis.

D d 3

Deinde